Misc. 650 n. 21

VIRTVS EX ALTO
DE S. SPIRITVS
ADVENTV
ORATIO
AD SS. D. N.
INNOCENTIVM X.
PONT. OPT. MAX.

HABITA IN SACELLO PONT. QVIRINALI

A GIORGIO GALLONE CASALENSI
Semin. Rom. Conuict.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ORATIO.

NOVA gesturus bella in hoſtem antiquiſſimum Deus, ſuam ſibi militantem in Terris Eccleſiam induit hodie virtute ex alto: Beatiſſime Pater. Nullum eſt bellum iuſtius, quàm quod neceſſarium: nullum vero neceſſarium magis, quàm quod ſaluti debetur, & Deo. In hac igitur cauſa pugnam Eccleſiæ detrectare non licuit, quæ ſuam haberet ex neceſſitate Iuſtitiam. Sed quid illa poſſet inermis, quæ & vno militum metu comprehendẽtium IESVM defecit in fugam: & vnius ancillæ vocula interrogantis Petrum confugit ad periuria: & extincto Deo, refri-

Luc. 24.

Marc. 12.

Marc. 14.

Ioan. 20. geſcentis glacie caritatis, concreta eſt, & congregata in locum vnum propter metum Iudæorum? Proinde in funeſto illo Dei Parricidio, cum laboraret veluti deliquio ipſius Caput, quod eſt Chriſtus, in magno Spirituum defectu, non modò fortes non habens ad præliandum manus, ſed
Luc. 24. ne firmos quidem ad ambulandum pedes, ſedere iuſſa eſt in Ciuitate, donec calore, ſpirituque de Cælo in cor ipſius immiſſo, manibus inde firmatis, & greſſibus, in noua pro Chriſto certamina bellatrix Eccleſia proſiliret. Paruit illa, ſeditque decem in Cœnaculo dies, quibus euolutis, igneis è Cælo linguis in arma, virtutemque demiſſis, quantum Eccleſia virium ad decertandum acceperit, id in præſentia oratione breuiſſima videamus.

Iudic. 5. Et verò noua bella elegit Dominus, qui non corporibus ferro, ſed cordibus incendio bellum indicens, in nouam armorum formam ex igne lin-
Oſee. 2. guas accendit. Linguas, inquam, loquentis ad cor
Pſalm. 17. Dei diuinum in eloquium examinatas igni, quarum opifex, & diſpenſator eſt Verbum Patris. Nouum ſanè, inauditumque terris prodigium. Cum cætera hominum verba procedant à lingua, nunc verò linguæ procedunt à Verbo. Quorſum
Gen. 11. verò emanant à Patris Verbo tot linguæ? Terra olim labij vnius, quia moliebantur contra Cælum Gigantes, nouo ſupplicij genere confuſa eſt multiplici diuerſitate verborum. Nunc verò cum vnius Verbi ſunt linguæ multiplices, an non in Tartara fatalis hæc machina fabricatur Eccleſiæ, vt

vnius concordia veritatis Regia diruatur diſſidentium mendaciorum; & ordinata in habentibus cor vnum, & animam vnam Apoſtolis caritate, omnis inferorum, in quo nullus ordo eſt, exercitus profligetur? Et tu quidem Terrarum Orbem fraude iam, Tartaree hoſtis, inuaſeras: illumque inuecto peccato, quaſi tuorum poſitione pedum in via iniquitatis ambulantium, feceras tuum. Sed ecce ad indicendum bellum, corporatum Filium, Virgam virtutis ſuæ in hæc regna terrarum emiſit Dominus de cæleſti Syon; hoc eſt fulgurantem haſtam in fines inimicorum, quorum in medio dominaretur, immiſit. Quàm verò non diſſimulanter ſuum hoc Deus indixit prælium, & inuexit, qui, vt huic vni vniuerſus vacare poſſet Orbis Terrarũ, naſcente in terris militiæ ſuæ Principe, cætera omnia vacare iuſſit vbique bella Regnorum? Legit milites: quos putatis? ad arma ignis per terrarum plagas omnes ferenda, ex aquis potiſſimum quæſijt Piſcatores. Caritas nimirum ignis ille eſt, qui Eliæ olim ſacrificantis experimento in aqua plus valet, & quem noſtrorum ſcelerum nunquam, vel extinguere aquæ, vel obruere flumina potuere. Armis etiam ſuum Deus exercitum communiuit: quibus? Sermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, ijs in telum datus eſt, quorum manus contrectauerunt de Verbo vitæ, vt per eius vitalia vulnera immiſſa cordibus Innocentia, excluderetur è corpore peccati ſpiritus mortis. Sed tamen (quis hoc crederet?) antequam hodiernus

Cant. 1. Act. 4. Iob. 10. Pſal. 109. Ibid. 1. Reg. c. 8. Sap. 16. Cant. 8. Hebr. 4. 1. Ioan. 1. Rom. 6.

laberetur è Cælo ignis, acutus ille, vehemenſque diuini Verbi mucro, quaſi hebes, ac ſegnis victricia non premebat vulnera manibus Apoſtolorum. Et ferrum quidem, vt temperetur in gladium, tundendum malleis eſt, inflammandum igni, & aqua reſtinguendum. Num verò gladius diuini Verbi,
Philipp. 2. qui certè vſque ad mortem tundendo fuerat exinanitus, Ignem hunc è Cælo, eundemque gratiarum fontem ad ſui temperaturam optimam expectabat? Certè virtute hac in Apoſtolorum animos ex alto demiſſa, tantum deinde in vulnera valuit diuinum Verbum, vt circumtectam ære, atque adamante perfidiam ſuo penitus mucrone
Luc. 21. traiecerit: quando Deus dedit Apoſtolis os, & ſapientiam, cui ipſorum Aduerſarij obſiſtere non valerent.

Gladium dixi diuinum Verbum: dixi parum. Machina fuit illud, quæ pro telis, & glandibus ex Apoſtolorum cordibus conceptum exploſit Spiritum, & Deum. Quid enim? Congregatos intra Cœnaculum Apoſtolos deuoluta de cælo flamma cum fragore Spiritus vehementis excluſit. An non igne velut admoto bombardæ arma inde toti Mundo fatalia erupere, quæ humanorum ſcelerum inſultantem iam Cælo Babelem euerſam funditus ad ipſa vſque Tartara deturbarent? Intuemini Petrum: An non ille, veluti miſſilibus grauida telis machina, de Cœnaculo medium in Hieroſolymæ forum deſtinato exploſus ictu eſt; ibique ignea intus agente vi planè diſſiliens, tàm multos

tàm

tàm alto ictu petijt, & excuſſit; vt ex omni natione, quæ ſub Cælo eſt, multitudo mente confuſa, *Act. 2.* ſuam quælibet vnius ex ore linguam exaudiens, ſuum inde quaſi vulnus acceperit; quodque nullum humanæ militiæ tormentum queat, vno ictu Petrus tria hominum millia errorum extincta per- *Ibid.* fidiæ ad Chriſtianam animauerit veritatem, & fidem? Intuemini Mundum omnem Vrbis Iericunthinæ fata peruagato prodigio ſubeuntem. Ille, qui in omnem terram exiuit Apoſtolorum ſo- *Pſal. 18.* nus; præconum tubis in bellica tormenta conuerſis; turrita ſuperſtitionum mœnia validiore glandibus diuini Spiritus aura ſubuertit. Quæ mœnia? quas turres? Quas nimirum ſtructurâ fundabat altiſſimâ, hominum vel Sapientia, vel Dominatus.

Et tamen ſtructuræ illæ, atque ſubſtructiones inſanæ Apoſtolorum obſidione cinctę, nequaquā eum verberantium linguarum arietem inconcuſſæ, ac integræ pertulere. Victi Reges, conuicti Sapientes: illi regnante ipſorum in cordibus fide facti ſunt Deo noſtro Regnum; hi erudiente ip- *Apoc. 5.* ſorum animos veritate, pro Schola fuerunt, & Magiſterio ſanctitatis. Deus immortalis! Ecquænam hęc hodie fuit demiſſa virtus ex alto, quæ ex homunculorum plebecula Piſcatores, ſupra capita extulit Dominantium? & quæ Academiarum rudes, & Lycęorum ad confundenda legit Athenęa Sapientum, & tripodas oraculorum? Mirum hoc certamen fuit, & plena miraculi victoria, quæ conditione pugnæ, tam diſpari ex hoſte humanis omnibus

nibus

nibus pręſidijs communito in partem Eccleſiæ ceſ-
ſit, naturæ quidem viribus inermem, ſed arma-
tam Deo. Quæ nam enim contrà Reges eſſet A-
poſtolorum potentia, qui ſuo de patrimonio, ac
Matth. 4. mercatura vix lacera retia, ſciſſamque nauiculam,
Luc. 5. & quod ſummum inter eos fuit, vix habuere telo-
nium? de alieno verò, ſub illo militiæ Principe
Matth. 8. meruere ſtipendia, qui vbi caput ſuum reclinaret
ex ipſius confeſſione non habuit? Et tamen hi,
pauperes, lacerique, tantum, tàmque formidabile
contrà Regna terrarum omnia ſuſceptum aluere
feliciter, & confecere bellum, vt ſupra coruſcan-
tia gemmis, auroque diademata labarum trium-
phale Crucis extulerint, fecerintque Reges ipſos,
1. *Corinth.* 1. ac Cæſares patibuli illius, Chriſtianæ, quam exiſti-
mabant, ſtultitiæ adoratores? Lingua verò quàm
infantes, animo quàm hebetes erant Apoſtoli;
Ioan. 6. quibus ſermo corporatæ Diuinitatis verba vitæ æ-
ternæ habentis durus olim, & quem nemo poſſet
audire, videbatur? & qui Præceptorem ſuum tan-
to cum ipſis tempore viſum, auditumque, Philip-
Id. 14. po ca de re ruditer interrogante, non adhuc benè
cognorant? Et tamen Infantes hi, hebeteſque
in omnium deinde aures, & captum concepta di-
uinæ Triadis arcana, Deique corporati myſteria
vulgauere: hi nouam ſentiendi, credendique tra-
didere diſciplinam: hi laboranti antiquiſſima cor-
corruptela mortalium naturæ difficilem, aſperam-
que ſanctitatem explicuere facilè, feliciter perſua-
ſere. Ceſſere igitur Piſcatoribus Reges? Ceſſere

in Piſcatoribus Deo, in cuius manu corda ſunt Regum. Didicere à rudibus Sapientes? ab eo in ijs rudibus didicere, qui linguas Infantium facit eſſe diſertas. Profana ſcientia, nobilitas, potentia, arma Saulis erant Chriſtianis Dauidibus Tartareum in Gigantem pugnaturis inepta. Verbum Dei in funiculis Adæ, & vinculis caritatis, tanquam in funda ille poſitus eſt, & datus ad intorquendum lapis, qui ſuper quam cecidiſſet contumacem perfidiæ frontem, ſecuro ſemper ictu contereret.

Prou. 21. *Sap.* 10. 1. *Reg.* 17. *Oſee.* 11. *Matth.* 21.

Et ecce à Sapientibus, Regibuſque proficiſcitur bellum ad Deos. Idem hodie Verbi Dei lapis Eccleſiæ Petram Spiritu intus agente conſolidans, Syonis è monte abſciſſus in Superbam Regnantis perfidiæ ſtatuam tanto excuſſus eſt impetu, vt ipſius luteis diſpuleratis pedibus, hoc eſt fictili mēdaciorum baſi contrita, tota illicò diſſoluta ſit machina ſuperſtitionum. In hac ruina ſacrilega Deorum comminuta ſunt ſigna, Numina ipſa ad nihilum imminuta, & qui fulminare olim creditus eſt, Iuppiter in exiguo iacuit cinere fulminatus. Fulminatus inquam, cuius in muta, frigidaque ſigna eloquētes hodie linguas, & ignem in linguis acceperunt Apoſtoli fulminantem. An verò fulmen ignis ille non erat, qui, quod eſt proprium vnicè fulminum, è Cælo venit in Terras? An non fulminantem ignem, vel ab ipſius nouimus Architecto, cui conſimilem planè commenta eſt fulminum fabricatorem antiquitas? Diuinum Verbum

Dan. 2.

(date

rio

(date mihi hanc veniam, profanum hodie nomen linguis hiſce ſacroſanctis, vt conſecrem) Diuinum inquam Verbum, Vulcanus alter filius veri
Iſa. 53. Iouis, noſtram ob deformitatem ſcelerum, quam ad abluendum induerat, è Cælo depulſus, in eoque caſu Deus homo factus, cum altero greſſu Diuinitatis altiſſimo in noſtra claudicans humanitate: ille inquam, qui in terras venit ignem mittere,
Luc. 12. in ea, vbi natus apud nos eſt, cauernulà, tanquam in Vulcania hæc linguarum fulmina fabricabat: quæ tunc ſe miniſtraturum Apoſtolis aiebat, cum regreſſus in Cælum, hodiernum inde à ſe mittendum Paraclitum pollicebatur.
Ioan. 16.

Sed num in vna tantùm Apoſtolorum lingua fuit hoc fulmen, quando vel in ipſis Eccleſiæ ſuæ
Thren. 1. oſſibus Deus ignem miſit, vt cum illam ardentem faceret, ad intorquenda Spiritus diuini fulmina erudiret? Cæſa illa à Tyrannis cadauera, & oſſa Martyrum inſepulta; ille effuſus in campos ſanguis, diffuſus in aërem cinis: illa ipſa, vbi, & cadauera, & oſſa, & ſanguis deſiderabatur, & cinis, illa inquam ipſa glorioſorum memoria funerum, ſuis cum ſuperſtitionibus, & ſimulacris ſacrilegos Sacerdotes, & adoratores impios fulminabat. Tantum hodie virtutis ſuæ dedit Eccleſiæ Deus, vt nunquam illa non eſſet ſecura triumphi, quæ proficere deficiendo poſſet, & vincere moriendo.

Verùm quid hoc eſt? perinde quaſi parum eſſet Eccleſiæ in eos agere, quos ipſi hoſtes, vel contumax Synagogæ perfidia; vel priſca ſuperſtitio-

rum dediſſet impietas, dimicare illam oportuit, & in ſuos. Hæreſum auctores, & aſſeclas, genimina viperarum de lacera matris aluo naſcentia, Hydras illas de ſuorum clade capitum maiori cum fœnore pullulantes, inuadere ità debuit, vt & in ſeſe ipſas opprimeret, earumque virus, ac peſtem, ne in ſua omnia permanaret membra, reſecando compeſceret. Magnus labor, & quem nemo non dixerit Herculeę fortitudini non parem tantummodò, ſed maiorem. Verùm aduerſum hos angues hodiernus ſuppeditauit ignis incendium: & ad errorum monſtra domanda, tanquam Herculeam clauam, Scientiæ clauem Deus Eccleſiæ dedit, cuius, & artificium ſeras recluderet veritatis, & pondus, Draconis confringeret capita in aquis *Pſal. 73.* vehementibus mendaciorum. Hæc eadem demiſſa virtus ex alto Chriſtianorum agmina Theologorum calamis, & linguis, tanquam Sagitta- *Habac. 3.* rum luce, & fulgurantis haſtæ ſplendore aduerſus Rectores impulit tenebrarum; in eiſque ſcutum *Epheſ. 6.* poſuit inexpugnabile Fidei, in quo contrà inania *Ibid.* fallaciarum argumenta omnia poſſimus ignea tela *Ibid.* nequiſſimi hoſtis extinguere. Hæc è Templorum ſuggeſtis, tanquam Eccleſiæ militantis ex arcibus, pro machinis, & tormentis ſacros in ictum excutit Oratores, quorum qui pro glandibus eſt ſermo, quia ſermo Dei eſt, nunquam reuertitur *Iſa. 55.* vacuus, ſed graui ſemper ictu, aut ſcelerum, aut errorum mœnia demolitur. Hæc ſanctiſſima Patrum, Doctorumque comitia cogit in fatales impietatis

pietatis arci cuniculos, quos vbi diuini Spiritus admota flamma ſuccendit, cum fragore, ac tonitru diſiecta funditus ruit turrita quæuis machina obſiſtentium Inferorum. Hæc denique tibi Beatiſſime Pater in hoc Vaticano fulmina fabricat, & miniſtrat: Teque in ea humanæ, diuinæque poteſtatis celſitudine collocat, vt nullus ſit arduus adeò; & ſublimis inter homines ſacræ, profanæ dignitatis Olympus, qui infra te non ſit, ſi Tu tuis illum velis armis Eccleſiæ Pontificijs fulminare. Tuo in ore fulminibus omnibus formidabiliorem poſuit Deus Spiritum mortis, & vitæ, cuius in imperio eſt
Matth. 16. ea omnia, quæ ſunt ſuper terram, ligando, ſoluendoque, æternam, vel cum Superis vitam, vel cum Inferis mortem communicare mortalibus. Vtere igitur diuina hac, qua Te Deus hodie in Apoſtolis induit ex alto, virtute; auramque vitæ Innocentem in Eccleſię prolem inſpirans, effunde in iræ filios ſpiritum mortis: nouerintque inferorum portæ, nequicquam à ſe tot in Eccleſiam eiectari
Ibid. agmina furiarum, aduerſus quam nunquam ipſas præualituras eſſe, & edixerat antea Deus, & hac
Ioan. 15. demiſſa hodie ex alto Virtute, quod promiſerat Verbo, Spiritu veritatis impleuit.

LAVS DEO.